

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Capvt I. De verbo vel scriptura dei

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)



In Sancto Nomine I E S U!

PROMPTUARIUM
ALLEGORIARUM

CAPVT I.

DE

VERBO VEL
SCRIPTURA DEI.

ARTICVLVS I.

DE IP SO DEI VERBO,

Effectis, Attributis,

CHRISTUS SCRIPTURÆ SCOPUS.

I.

Matth. 17. v. 9. *Discipuli Christum
solum viderunt in monte, secedentibus
Mose & Eliâ. Mons Ecclesiæ Typus
est, (vide infra: De Ecclesia) in qua
vox Patris sonat de Filio, Matth. 17.
v. 5. Ex quo Moses & Elias, hoc est,
omnes doctores tandem secesserunt, migrantes ad cœli
montem illum: Psal. 121. Christum solum & voce &*
A scri-

CAPUT I.

2
 scriptis monstraverunt, Joh. 1. vers. 29. cap. 5. v. 46. Omnes Prophetæ Christo perhibent testimonium, Actor. 10. v. 43. Hunc solum ergò videmus Ecclesiæ, ut solum montis Sion, regem, Psal. 2. v. 6. Hebr. 9. v. 7. Solum Pontificem. Solus igitur cognitionis nostræ scopus esse debet, 1. Corinth. 2. v. 2. Galat. 6. v. 14. Philipp. 3. v. 8. Johan. 17. v. 1. Solum Christum videbant d. l. Apostoli, quia hoc ipso significatum fuit, neque Mosen, neque Eliam, neque ullum ex sanctissimis hominibus potuisse redemptionis nostræ opus perficere, Esa. 63. v. 3. Psalm. 49. v. 89. 1. Sam. 2. v. 25. Nam de hoc sermo habitus fuerat, inter Christum & sanctos illos, Luc. 9. v. 31. Hæc accommodatio ad Cap. de Passione Christi.

VERBUM DEI MENSA EST.

2. *In mensa Levitica, panes propositionis apponebantur*, Exod. 25. v. 30. Sacra Scriptura est talis mensa, in qua panis vitæ Christus proponitur, Joh. 6. de quo Scriptura testatur. Johan. 5. v. 39. 2. Calix afflictionis quoque piis proponitur in Scriptura, 1. Samuel. 2. v. 6. Tob. 13. vers. 22. 2. Timoth. 3. v. 12. vide infra de Cruce. Hunc Christus bibit ipse, Matth. 20. v. 22. Bibunt cum eo, assidentes huic Mensæ, Matth. 20. v. 25. sed temperatum bibunt pii, fœculentum impii, Psal. 75. v. 9. Nos oyculæ bibimus ex eodem calice cum Domino, 2. Sam. 12. v. 3. 3. Ipsa sapientia hanc mensam instruxit, Prov. 9. v. 2. Mactavit altitia. 4. Invitatores emisit, Matth. 22. v. 4. cap. 23. v. 34. Ministri sunt dapiferi, qui cœlestes epulas in mensâ scripturæ proponunt. Usus hujus mensæ. Non spernamus hanc mensam, quia cibum accipimus ex stultis sapientes facientem; stulti verò omnes spiritualiter sumus, 1. Cor. 2. v. 14. si ad veram sapientiam adspiramus, 1. Cor. 2. v. 7. ad hanc mensam

DE SACRA SCRIPTURA. 3

fam verbi accedamus, si in æternum vivere cupimus. Joh. 6. v. 58. Humiliter nos geramus. Non deceat mensam scripturæ elato sapientiæ supercilio accedere, 1. Cor. 1. v. 21. Non nisi lotis manibus ad quotidianam mensam veteres accessisse, sacrisque prius Deo primitiis, autor est Plutarchus in Symposiis: Ad scripturæ mensam quoties accedis, lava manus, hoc est, intellectum tuum impurum sincerioris preceationis aquâ. Primitias Deo ita consecrabis, si quicquid appositum fuerit in hac mensâ, id totum ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem conferas. Beneficium Dei agnoscamus invitantis nos, & advocantis, ut filios domus suæ. Sic Mephiboseth agnoscebat beneficium Davidis. 2. Sam. 9. v. 7. Canis es; O homo, qui mavis humo legere panem tuum, & pascere te terrestribus, quàm apud Scripturæ mensam delictari. 4. Esurientes accedamus, ita ut in scripturæ mensa quæramus Christum panem justitiæ, aquam vitæ, sine quâ deficiamus. 5. Coelestem mensam quæramus. Hæc autem est vita æterna, in qua super mensam Domini edemus bibemusque Luc. 22. v. 30. vita verò æterna est scopus fidei, 1. Petr. 1. v. 9. Ita scripturæ sanctæ finis internus, fides; finis externus, vita æterna. Uterque adamandus in cœlesti hac mensa.

VERBUM DEI LUMEN, LUX.

3. Psalm. 36. v. 10. *Apud te fons vitæ, & in tuo lumine videmus lumen.* Duobeneficia: *Fontis vitæ in nos derivatio.* Hic Deus est, qui benignitatis suæ rivus in nos largiter derivavit, bona cum corporalia, tum spiritualia. Act. 14. v. 17. 1. Corinth. 1. v. 5. donandô. *Luminis donatio:* hoc est verbum Domini. Philipp. 2. v. 16. Psalm. 119. v. 105. Psalm. 19. v. 9. Proverb. 6. vers. 23. ex hoc Dei contemplatio: in lumine enim

A 2

verbi

verbi divini, Deum lucem, 1. Johan. 1. v. 5. videmus, & salvificam cognitionem haurimus, quem nemo aliàs vidit, Johan. 1. v. 18. 1. Timoth. 6. v. 19. nosque in tenebris densissimis jacemus, Johan. 1. v. 5. Ephes. 4. v. 18. Accendit ergo verbi lumen Deus ne offendamus, dicit, sed tamen in speculo solum. 1. Cor. 13. v. 12. Est quoque verbum Dei lux. Proverb. 6. v. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* 1. *Ob tenebrarum distinctionem*: Ita verbum Dei distinguit. 1. Tenebras mentis, quas pellit, fidei oculos illuminando. Ephes. 1. v. 8. 2. Distinguit tenebras doctrinarum falsarum, illasque dispellit. 2. *Dominationem*. Lux dominatur die: ita ubi dies est spiritualis cognitionis, ibi est lux verbi. Ephes. 5. v. 8. Hic dies lucis spiritualis ortus quoque est nobis. Rom. 13. v. 12. quando scripturæ gaudemus verâ luce. In tenebris sunt, quibus hæc lux non fulget. 3. *Causationem*: lux à sole causatur: ita verbum Dei à Christo principium ducit, sole justitiæ. 4. *Penetrationem*: Lux abdita quæque penetrat: Ita verbum Dei corda hominum penetrat. Verbum autem Domini penetrat medullas. 5. *Latificationem*. Lætitiæ significatura scriptura vocem lucis adhibet, & quis est quem non lucis usus maximè recreet, vide Ester 8. v. 18. Ita verbum Dei animas lætificat, & monstrat eis veram lucem Deum, ut supra dixi, conf. Psal. 119. v. 14. 6. *Pigrorum excitationem*: lux enim pigros excitat. Veniente luce verbi à somno peccatorum surgere jubemur. Rom. 13. v. 12. 13. Ephes. 5. v. 8. 9. non fas est stertere in peccatis ad solem meridianum. 7. *Lux oculis lippis ingrata*: Ita verbum Dei hæreticis. 8. *Ambulantium usurpationem*: Hi enim luce fruuntur, facillè offendunt in tenebris: Ita Scriptura lux est ambulantium, ut in offenso pede transcamus, Psal. 119. v. 9.

TONI-

TONITRU.

4. Pf. 68. v. 3. 4. *Dabit voci sue virtutem. D. Luth.*
 Er wird seinem Donner Krafft geben. Illud Tonitru
 est verbum Domini. 1. *Obterrorem.* Tonitru Pharao
 terrebatur. Exod. 9. v. 29. Ita Satanas verbo Dei fuga-
 tus, Matth. 4. reliquit Christum scripturis convictus,
 verbi divini hoc tonitru omnes spirituales hostes pro-
 pelluntur, quia contra hos omnes in solo Dei verbo est
 solatium. 2. *Ira divina significationem.* Lex enim cum
 tonitru & fulguribus lata, Exod. 20. v. 18. Jobi 37. v. 2.
 ita verbum Dei, iram e jus manifestat, Rom. 1. v. 18. parte
 sui una, lege scilicet. 3. *Roboris magnitudinem,* Job.
 28. v. 14. quam tonitru claram facit Deus. Ita magnum
 verbi divini robur est afflictos erigendi, contumaces ar-
 guendi. 2. Timoth. 2. v. 16. credentes salvandi Rom. 1.
 v. 16. quia est ministerium spiritus. 2. Cor. 3. v. 8. 9.
Coniunctam aqua copiam cum Tonitru. Jerem. 10. v. 13.
 Ita verbo Dei coniuncta est aqua solatii, Es. 30. v. 20.
 aqua Spiritus sancti, qui largiter in nos effunditur. Tit. 3.
 v. 6. Exemplum Act. 2. v. 4.

FONS VIVUS.

5. Gen. 26. v. 19. *Servi Isaac foderunt puteum aqua
 viventis, in torrente: sed ibi iurgium fuit pastorum Ge-
 rar adversus pastores Isaac, dicentes: nostra est aqua.*
 Servi Christi, Caelestis Isaac, sunt Prophetæ, Apostoli,
 Evangelistæ, qui foderunt puteum aquæ viventis, qui
 verbum suppeditans aquam vivam in æstu crucis. Pf.
 94. v. 19. Psalm. 119. v. 50. in morte, 2. Cor. 1. v. 9.
 cap. 4. v. 11. cap. 11. v. 28. Hunc consolationis fontem
 obstruere nituntur infernales Philistæi, cum torrentes
 Belial nos terrent. Psal. 18. v. 5. *Solatium deficit,* Esa.
 38. v. 17. obstruere nituntur pastores Gerar, mundi
 hujus cives & mancipia, sed vivus manet, semper sca-
 turit:

turit: ex quo bibens nunquam sitiet, quia in hac
 vita potatur ex eo, & in altera non deficiet, Apoc. 21.
 v. 6. cum in re possidebimus. Quicumque sunt alii fon-
 tes, deficiunt, & aqua eorum mortua est, Jerem. 2. v. 13.
 sedandæ spirituali siti minus congrua: Solum hoc Do-
 mini præstat verbum, Psal. 119. v. 92. nisi verbum tuum
 mihi solatio fuisset, periissem. Gaudeamus hoc fonte in
 deserto vitæ, ut Israelitæ, Num. 21. v. 15. autem præcep-
 rat Dominus Mosi, ut populum congregaret ad hunc
 fontem, quippe ex eo potum suppeditaturus erat popu-
 lo universo, in deserto peregrinanti. Ita & nos in hoc
 mundo peregrinamur, ut in deserto, sitimus & potum
 desideramus. Ergò ad hunc fontem nos congregari vult
 Deus, ad verbum suum, Joh. 5. v. 39. Esa. 55. v. 1. non in-
 videt nobis potum, ex verbo suo: quod patet ex *uni-
 versali* vocatione, quâ omnes invitatur ad verbum, & ex
speciali correctione fratrum Epulonis, quibus dictum:
 habent Mosen & Prophetas: hos audiunto. Luc. 16.
 v. 29. Hic est fons Bethlechem, 1. Chr. 12. v. 17. Ex cujus
 aquis desiderio bibendi inflammatus David, misit tres
 Heroas, castra Philistæorum perrumpentes: Quilibet
 pius sit talis David, ardeat siti spiritualis aquæ è fonte
 scripturæ, dicat cum Davide, Psalm. 42. v. 1. Sicut cer-
 vus, ut potetur cum Davide: sed obstant Philistæi Spi-
 rituales prohibentes ab aditu ad hunc fontem, ibi sunt
 stulta ratio, intra te. 2. Hæresis & Diabolus extra te: sed
 perrumpendum tibi ad fontem pervenias. Mitte tu quoq;
 ô homo tres Heroas tuos, hi omnes erunt extra te, sed in-
 tra mittas hos, hi sunt 1. Oratio, 2. meditatio, 3. tenta-
 tio. Oratio mittenda est, ut Dominus legis secreta aper-
 riat. Meditatio, ne caro Dei mysteria silentio operiat.
 Tentatio, ne te persecutio, aut propria concupiscentia,
 à sacrarum literarum studio abarceat.

MAR.

MARGARITA.

6. *Qua confortat cor, & oculis collyrium præstat.* Talis Margarita Dei verbum est, Matth. 13. v. 45. Cor confortans consolando, Psal. 94. v. 19. Psal. 119. v. 92. Jerem. 15. v. 16. ut verus panis Psal. 104. v. 15. maximè cordis ventriculo concoctus. 2. Oculos illuminat cæcorum, Psal. 19. v. 9. Psal. 146. v. 8. per Evangelii illuminationem. 2. Corinth. 4. v. 4. eos qui in tenebris Luc. 1. v. 79. Ad hoc collyrium comparandum Christus ipse invitat, illud commendat. Apoc. 3. v. 18.

LUCERNA.

7. 2. Chr. 13. v. 11. *Ad vesperam lucerna accendebantur* à Levitis. Levitæ spirituales & sacerdotes nos sumus. 1. Pet. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6. Omnes fideles verbi lucernam accendere debemus. 2. Pet. 1. v. 21. ad vesperam, quæ vita, facillè impingimus. Hæc lucerna ergo adhibenda est in vita, Psal. 119, 105. Sicut sedulæ matrisfamilias lucerna non exstinguitur nocte. Proverb. 31, 18. Ita nec lucerna verbi divini extinguenta, donec ad eam vitam perveniamus, in qua agnus lucerna. Apoc. 22, 5. quia lucifer ille Christus plenis nobis radiis orietur. 2. Pet. 1, 20, 21. dissipans omnes, ut lex vera Joh. 1, 9. tenebras. Apoc. 21, 23. non indigentes lucernâ aliâ.

PUTEUS AQUÆ VIVENTIS.

8. *Hagar ob inobedientiam ejecta domo Abrahami, Dominus puteum aqua viva monstravit in deserto vaganti, oculos patefecit illi.* Gen. 12, 18. ita & nos ob superbiam & inobedientiam, ex Paradiso ejecti, vagamur in deserto mundi. (vide infra mundus desertum.) At Deus oculos nostros aperit. Ephes. 1. v. 18. ut mirabilia legis ipsius videamus. Psal. 119. v. monstratque puteum aquæ vitæ, hoc est, verbum suum, quo scim justitiæ spirituales restinguimus. Psal. 42. v. 3.

Pfalm. 84. vers. 3. Pfalm. 36. v. 10. Pfalm. 142. v. 6.

ODOR.

9. *Christus intrans domum Mariae, Johan. 12. v. 3. eam odore implevit, unguento perunctus mulieris.* Domus illa est Ecclesia, quam Christus intrat, per gratiosam sancti Spiritus inhabitationem. Johan. 14. veniemus ad eum, in qua habitat. 1. Timoth. 3. v. 15. Hanc odore salvificae cognitionis implevit. 2. Cor. 2. v. 14. qui per verbum spargitur, ut suavitatem Dei percipiamus, Psal. 34. v. 9.

GLADIUS.

10. *Jos. 5. v. 18. Angelus strueto gladio apparuit Iosue, pro populo suo dimicans.* Hic Christus est, angelus ille testamenti Malach. 3. v. 1. qui verbi sui gladio instructus adversum hostes pugnat. Apoc. 1. v. 16. cap. 2. v. 12. & 18. Hic est gladius Spiritus Ephes. 6. v. 17. acutus. Hebr. 4. v. 12. in pugna capeffendus; longè efficacior Gideonis illo, Judic. 7. v. 20. quo infernali Goliatho caput praecidimus. 1. Samuel. 17. v. 51. cum pugnamus. Ephes. 6. v. 17. contra hostes spirituales nostri ut templorum Dei. 1. Cor. 3. v. 16. ædificationem impedire conantes, Nehem. 4. v. 13. Hic est gladius ille, quo Christus accinctus est, Psal. 45. v. 4. Eodem & nos accingamus, bonam militaturi militiam. 1. Timoth. 1. v. 18. Cantic. 3. v. 8. 60. *fortes lectum Salomonis circumstant, robusti in Israel, tenentes gladios & ad pugnam accincti, ob metum nocturnum.* 1. Sexaginta fortes omnes sunt pii, fortes in Domino, 2. circumstant lectum Salomonis: Christus verus Salomon, & Rex pacis, sed dormit in hac vita & naviculam Ecclesiae suae fluctibus obrui permittit: quocirca pii circumstant eum dormientem videntes, & precibus excitantes, ut discipuli, Matth. 8. v. 26. 3. Pii tenent gladium

DE SACRA SCRIPTURA. 9

dium verbi in manu cordis tanquam in perpetua pugna instituti. Job. 7. 4. quæ causa armorum & vigiliarum? Est metus nocturnus, hoc est, Diaboli insidæ, quas fruit in mundi hujus nocte piis omnibus. Ergo gladium verbi semper in manibus habeamus Ephes. 6. v. 17. vigilemus jugiter. Luc. 21. v. 36. pugnemus verbi gladio, donec in extremo judicio evigilans Christus, nocti hujus vitæ finem imponat.

CANISTRUM.

11. Exod. 29. v. 3. *Panis azymus in canistro locandus erat.* Christus verò est panis, quem Pater dat. Johan. 6. v. 32. cap. 3. v. 16. Johan. 6. v. 35. longè melior panis deserti v. 5. 8. & quidem azymus, quia absque ullo malitiæ fermento Esa. 53. Johan. 8. v. 44. Hebr. 7. v. 26. fuit hic panis collocatus in scriptura, velut in canistro, in quo aservatur. In hoc canistro verbi quæritur Christus, Johan. 5. v. 36. Hoc scripturæ & verbi canistrum quisquis diligenter tractat, temporalis canistri benedictionem consequitur. Deut. 28. v. 58. I. Timoth. 4. vers. 8.

FIDEI MENSURA.

12. *Pondere vel mensurâ sanctuarii omnia examinanda*, præceperat Jehovah. Levit. 27. v. 25. Sanctuarium DEI Ecclesia est, in qua nos sanctificat lavacro aquæ in verbo. Ephes. 5. v. 25. in qua loquitur. Psalm. 78. v. 69. Hujus pondus & mensura est verbum vel scriptura, quæ omnia mensuranda sunt velut canone infallibili. Psal. 19. v. 5. Rom. 10. v. 18. Gal. 6. v. 16. Doctrina falsa, hac paleâ deprehenduntur. Veræ, aurum, 1. Cor. 3. v. 12. vita impia hac mensurâ arguitur, quæ levis judicatur, ut Daniel. 5. v. 28. Ad hoc ergò fidei pondus omnis doctrina, vita omniaque expendenda. In pariete scriptum fuit de Rege Balthaf. *Appensus es in statera,*

A 5

tera,

tera, & inventus es minus habens: quæ erat hæc statera? nisi verbum Domini, ex cujus præscripto Rex ille non vixerat, & minus habens inventus erat. Ita in iudicii die omnium hominum facta, dicta, cogitata ex verbi divini mensurâ judicabuntur, Luc. 19. v. 22. Joh. 12. v. 48. Verbum, quod ego locutus sum, judicabit (malos) in novissimo die.

SMEGMA & IGNIS.

13. Malach. 3. v. 2. *Erit quasi ignis conflans, & velut smegma fullonum.* Ignis ille conflans Christi verbum est, quo mundamur. Ephes. 5. v. 25. puri reddimur. Johan. 5. v. 3. & corda nostra fide verbum amplectentia, Act. 15. v. 9. Sanctus Spiritus est ignis conflans hoc verbum in cordibus hominum, quod per linguas igneas significatum est. Act. 2. v. 3. (confer. Sp. sanctus est ignis) Hunc verbi ignem quoties in cordibus sentimus, effervescentiam amore erga Deum & proximum, scorias peccati projicimus & ad spirituales puritatem anhelamus. Rom. 7. v. pen. Miser homo! quis me liberabit? Smegma verò idem est, quia immunditiam spirituales expurgat & monstrat, in vestibus nostris impuris, Esa. 64. v. 6. Quænam illæ vestes? corda nostra sunt vestes illæ, peccati immunditiam tegentes & involventes: hoc quotidie purgandæ sunt verbi smegmate, ut mudentur, Act. 15. v. 9. Susanna smegmate se unxit. Susann. 15. v. lota. Verbum Dei est verum illud smegma, animæ inquinamenta tollens, quæ aliàs tolli nequeunt, Jerem. 2. v. 22. Hoc verbi smegma additur aquæ baptismi: non enim baptismus est pura Aqua, sed mandato Dei circumscripta, aqua regenerationis, Tit. 3. v. 5. Christus est verus ille fullo, qui non aqua sed sanguine suo ipsius nos lavit, Apocal. 1. v. 5. à sanguinæ culpæ nostræ, Ezech. 16. vers. 9.

Scri-

DE SACRA SCRIPTURA. 11

SCRIPTURÆ USUS MALUS

apud Hæreticos.

14. *Hera Josephi, palliõ ex illius manibus extortõ, intentati adulterii reum peragere servum volebat, qui pallium relinquens aufugit.* Gen. 39. Pallium Christi verbum est, quod Hæretici capientes, ut spirituale adulterium exercent; alium sponsum maritumque animabus quærant, 2. Corinth. 11. v. 2. Christus ipse aufugit gratiosâ in habitatione & gubernatione, qui per fidem saltem veram in cordibus nostris habitat. Ephes. 3. v. 17. conf. Jerem. 8. v. 8. 9.

15. *Aquæ Egyptiis in sanguinem vertebantur. Exod. 7. v. 17. Mose fidem non habentibus, ad eò, ut eas bibere non possent. Ita scripturarum corruptoribus aquæ spirituales illæ, & limpidae, ex quibus cum gaudio bibimus Esa. 12. v. 10. quas Christus dat. Joh. 4. v. 10. in sanguinem vertuntur, ad eò, ut eas bibere non possint, hoc est, Verbi aqua fit hæreticis, suæ infidelitatis culpâ, potus noxius.*

IN SCRIPTURIS MYSTERIA

plurima.

16. *Liber involutus. Apocal. 6. v. 14. Ezech. 2. v. 9. sacram scripturam notare potest, plurimis mysteriis involutam, ideoque oculis carnalibus minimè apertam. Evolvendus ergò liber ille involutus. 1. Oratione, ut Deum assidue invocemus, ex Psal. 119. per integr. 2. Meditatione, ut hunc librum scrutemur, Joh. 5. v. 39. 3. Tentatione, ut quâ in hoc involuto libro exercemur: Vide quomodo David se exercitatum dicat, Psal. 73. v. 16. 17. Ad illius ergo intelligentiam requiruntur oculi illuminari, Ephes. 11. v. 18. quos David petebat, Psal. 119. v. 18. a Domino, qui aperit scripturas & intellectum, Luc. 24. v. 32. Apoc. 5. v. 9.*

SCRI.

17. *Quod semper pra nos ferre decet Marc. 9. v. 50.* Nullum sine sale Deo sacrificium acceptum erat. Marc. 9. v. 49. Sine verbo Dei nullum est Deo opus gratum, nulla doctrina accepta. Hoc est illud sal, quo condimur in statu gratiae, Ezech. 16. v. 4. quod à sacerdotibus spargendum. Ezech. 43. v. 24. quo vita spiritualis carere non potest. Syrach. 39. v. 31. nec sermones nostri. Coloss. 4. v. 6. Sale pluit Dominus super Sodomam, Deut. 19. v. 23. ita verbi sal in impios pluet Joh. 12. v. 48. hoc erit sal verbi judicantis.

SEMEN EST VERBUM DEI.

18. 1. Petr. 1. v. 23. Renati estis, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, Confer Luc. 8. v. 11. Verbum autem Domini est semen. 1. *Ob humoris attractionem*: Ita verbum Dei corda hominum attrahit, flecgit. Psal. 119. per tot. Johan. 6. Domine, verba vitae aeternae habes! Jerem. 15. v. 16.

2. *Terra mundationem*: Ita verbum Dei corda purificat, Johan. 15. v. 6. Actor. 15. v. 11.

3. *Fructuum assimilationem*: sicut ex tritici semine triticum: ita ex verbo Dei, filii Dei, frumentum electum Dei, qui ideo dicuntur filii Dei, quia ex Deo per verbum nati. Joh. 1. v. 13. regeneriti. 1. Petr. 3. v. 23. semen Dei, Esa. 53. v. 10.

4. *Temporis rationem*. Ex semine non statim fit spica, sed paulatim succrescit: ita etiam filii Dei indies renovantur, crescunt. 2. Corinth. 4. v. 16. paulatim adulescunt, 2. Corinth. 10. v. 15. Ephes. 2. v. 21. Coloss. 2. v. 19. augefcunt, Ephes. 4. v. 16.

5. *Mysticam vocis (Seminis) significationem*. Gen. 1. vers. 12. Arbores, suum quæque, semen habent: Christus arbor vitae semen in se habet verbi. Gen. 47.

DE SACRA SCRIPTURA. 13

v. 19. omnes pii, velut rami hujus arboris. Rom. 11.
 v. 17. Joh. 5. v. 1. 2. palmites sunt, crescentes in ea, & fe-
 men verbi & succum fidei & colorem charitatis, ex
 Christo arbore trahentes. *Semen petebant Aegyptii à
 Josepho, ut vrverent, non morerentur, neque terra sterilis
 esset*: ita semen verbi, ex quo vivimus & ager cordis
 nostri fertilis redditur, est verbum Dei, cœlesti nostro
 Josepho acceptum ferendum, ab eo petendum, (quia
 ipse est feminator ille boni feminis, Matth. 13. v. 27.)
 confestim donandum, ut v. 23. d. l. typicè innuitur.
 Ager tantum cordis & corpus Christo consecrandum
 est, (ut Aegypti Josepho, v. 18. se totos in mancipia
 dediderunt) Rom. 12. v. 1. ut siamus mancipia justitiæ
 Rom. 6. v. 19. & fructum multiplicem feramus, Joh. 15.
 v. 5, seq. Quisquis non fructus, ager inutilis est, petro-
 sus. Luc. 8. & ramus interitui proximus. Joh. 15. v. 6.
 7. Luc. 13. v. 9.

6. *Pluvia irrigationem*, quâ indiget semen: ita ver-
 bum Dei pluviâ gratiosâ Spiritus sancti irrigatur. 1. Cor.
 3. v. 6. de hac quoque Esa. 55. v. 10. 11.

7. *Putrefactionem*. Semen nonnunquam in agro
 putrescit. Joel. 1. v. 17. ita semen verbi in cordibus
 multorum putrescit, fructum nullum fert, aut degene-
 rem fert, illud fit. 1. in hæreticis, qui semen verbi divini
 non in triticum, sed paleas. Jerem. 23. v. 28. convertunt.
 2. in malis Christianis, idem semen in spinas converten-
 tibus. Luc. 8. v. 14.

VERBUM DEI EST NIX.

19. Esa. 55, 10. Quemadmodum nix & pluvia de cœ-
 lo descendunt, & illic ultrò non revertuntur, &c. 1. *Ob-
 fecundationem*. Nix resoluta terram fecundat: ita ver-
 bum Dei cordis nostri agrum reddit fertilem frugum fi-
 dei, bonorum operum, Phil. 1, 11. Luc. 8, 8. Joh. 15, 6.
 Rom. 7, 4. Gal. 5, 22. Heb. 12, 11. Col. 1, 6. 2. Ovi.

2. *Ovium nutritionem.* Nix ovibus velut pro cibo & potu esse dicitur: nix enim generatur ex humido aërio, in quo vita consistit: ita oves pascuæ Dei, Psal. 100. nutriuntur verbo Dei, Esa. 38. v. 16. Matth. 4. v. 4. tanquam spirituali illâ nive. 3. *Segetum augmentationem.* Cum enim nix tegat frumentum gremio terræ commissum, ejusque ita quasi calorem foveat, ut tanto largior seges prodeat: ita spiritualis Verbi nix corda nostra tegit, eadem incalefcere facit, ut spiritualiter crescamus. Esa. 44. v. 4. Act. 7. v. 17. cap. 19. v. 20. 2. Corinth. 9. v. 10. in templum sanctum Domini Ephes. 1. v. 3. 2. Petr. 3. v. 18. Et velut nix poros terræ claudit, ne vapores prorumpant: sic Verbum Dei poros terræ, Psal. 119. v. 9. peccati lolium suffocat crescente omnium virtutum segete in cordis agro nostri.

4. *Terra opertionem:* Nix enim terræ vestis est: quo respectu illud Pl. intelligi potest: 147. v. 16. ita verbum Dei vestis nostra est, cujus beneficio cor nostrum incalefcit, ne frigore spirituali, hoc est, odio Dei & proximi, omnis spiritualium virtutum seges putrescat: cum enim cor non incalefcit ex nive spiritualis Verbi, frigus in eo oritur, de quo Christus Matth. 24. Caritas in multorum cordibus refrigescet.

5. *Frigefactionem:* Nix habet vim refrigerandi, Proverb. 25. v. 13. ita verbum Dei æstum crucis, Job. 6. v. 16. 1. Pet. 4. v. 12. & calicem tribulationis temperat: Psal. 94. v. 9. Psal. 119. v. 92. Nisi verbum tuum mihi solatio fuisset, &c.

6. *Resolutionem.* Nix in aquam tandem resolvitur per calorem: ita verbum Dei fit aqua solatii refrigerii, inspersum. Esa. 30. v. 20. calore Spiritus sancti in cordibus nostris solutum.

DE SACRA SCRIPTURA. 15

7. *Puritatem* : Nix enim purissima : ita verbum Dei purum purificat animas nostras, Joh. 15. 3. Contra impuritatem nostram solatium est hoc, Job. 9. v. 31.

VERBI DIVINI DEFECTUS

malum.

20. Gen. 41. v. 30. *Fames consumebat terram*, *opprimebat*, cap. 47. v. 13. Fames occidit. Exod. 16. v. 3. conficit. Deut. 25. v. 18. fatigatos reddit homines, 2. Sam. 17. v. 29. mori facit denique. Hæc corporalis famis effecta ; spiritualis illius longè tristiora : nam animam consumit, spirituali pabulo destitutam, occidit, deficere facit in via hujus vitæ, fatigatam reddit, quando pabulo panis caret. Amos. 8. v. 11.

VERBUM DEI EST CITHARA

Davidis.

12. *Quâ pulsâ, Spiritus irrequietus à Saulo recessit*, 1. Sam. 16. v. 23. Spiritus irrequietus Satan est, Luc. 12. v. 43. nec requiem habens in homine, quem spiritualiter occupat Diabolus Spiritus irrequietus, Esa. 57. v. 20. cap. 48. sup. v. 22. Epist. Jud. v. 13. nec in se, quia contremiscit, Jacob. 2. v. 18. Verus Cain vagus ; instabilis. Gen. 4. quærens cribrare, devorare, Luc. 22. v. 31. 1. Pet. 5. v. 8. Spiritus ille armis suis veram animæ quietem turbans, peccato, morte. Nos omnes Saulitæ ob peccatum, & filii mortis. Eph. 2. v. 5. subditi potestatis tenebrarum, Coloss. 1. v. 13. Non abigitur, nisi *Citharâ Davidis pulsâ*, hoc est, verbo Christi. Vide Matth. 4. v. 6. seq. Hæc cithara in corde pulsanda, & cum Davide experimur illud ex Psal. 55. v. 19. Jerem. 6. v. 16. Matth. 11. v. 29. inchoativè. Consummative in altera vita. 2. Thess. 1. v. 7. Heb. 4. v. 1. Hujus citharæ chordas modo Spiritus sanctus intendit, & cla-

clamamus, Rom. 8. v. 15. modo remittit, & geminus. Esa. 38. v. 14. & sic Spiritus quietus locum quietis in cordibus nostris sibi parat. Esa. 66. v. 1. per citharæ verbi pulsationem.

PALLIUM ELIÆ.

22. 2. Reg. 2. v. 13. *Levavit Elisa Pallium Elia, quod ceciderat ei, cum in cælum assumeretur: ita discipuli post Christi in cælos ascensum verbi pallium sustulerunt*, commendatum à Domino, Joh. 8. v. 31. Hoc pallio verbinos tegemus, ut Rebecca Gen. 24. v. 65. cum Domino occurremus, 1. Theff. 4. v. 17. Verbum enim Dei, ut malos judicabit, Joh. 12. v. 48. ita bonos absolvet, teget. Ruth. 3. v. 6. *Boas pallio se tegebat dormiturus*: Sic Christus, ad sæculi malitiam dormiens velut, verbi pallio se involvit, donec reveletur in judicio, 2. Theff. 1. v. 7. 1. Theff. 4. v. 17. Pallio diffusum Jordanem transiit Elias 2. Reg. 2. v. 8. ita verbo Dei è judicio eripimur, hoc Verbi pallio diffecamus divini judicii fluvium (vide infra de judicio) & sic transimus, velut pallio ornatur & è carcere hujus vitæ & manibus Herodis infernalis educimur, Act. 12. v. 8. ut Petrus, jussus se pallio amicare & angelum sequi: ita Verbi divini pallio vestimur in die judicii, ut non nudi reperiamur, 2. Cor. 5. v. 3. Uno verbo: verbum Domini ostendit vestem veram in CHRISTO, qua tegimur, Esa. 16. v. 10.

VERBUM DEI UBIQUE

prædicatum.

23. *Fulgur exit ab oriente & patet in occidentem*, Matt. 24. v. 27. Fulgur hoc est divinæ cognitionis per verbum & prædicationis, quæ exiit ab oriente Christo. Luc. 1. v. 78. & per Apostolos perfecta, Marc. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 17. v. 30. Col. 1. vers. 6. *Et patet in occi-*

occidente, hoc est, radios ubique spargit. Præstat hoc beneficium Josephi illi beneficio, horrea aperientis, Ægyptum & confines terras cibantis. Gen. 41. ψ . 56. At Christus luce cœlestis fulgoris sui totum mundum penetrauit & Verbi sui pane cibavit.

VERBO DEI A PECCATIS

abstrahimur.

24. Ezech. 2. ψ . 10. *Manum extentam vidit Vates, librum sibi porrigentem complicatum, quem explicuit, scriptumque in eo invenit: Carmen & Va.* Manus illa extenta Dei est, qui inhabitans lucem inaccessam, 1. Tim. 6. ψ . 16. quem nemo vidit, Johan. 1. ψ . 18. 1. Timoth. 6. ψ . 19. manum suam extendit se patefaciendo, librum complicatum ostendit, scripturæ scilicet. Hic evolendus est, in quo scriptum est, *Væ*, hoc est, cujusvis generis maledictiones. Luc. 6. cap. Deut. 28. Hæ maledictiones utique nos à peccato abstrahere debent. Hoc innuit Dominus Os. 5. ψ . 9. In Tribus Israel ostendi fidem, hoc est; fideliter ostendi, verbo meo morem gestum oportuisse.

VERBI DIVINI UTILITAS.

25. Sapient. 16. ψ . 20. *Manna habuit omnem saporem, & cuique secundum gustum convenientem.* Ita Verbum Dei, cœlestis manna, convenientem cuique saporem in se continet. Piis enim utile est ad doctrinam, ut in agnitione Dei proficiant, ad elenchum, ut seductores caveant, ad institutionem, ut in pietate proficiant, ad correctionem, ut vitam emendent, ad consolationem, ut animos sumant, 2. Tim. 3. ψ . 16. Rom. 15. ψ . 4. 1. Cor. 10. ψ . 11. Impiis verò Verbum Dei odor est mortis ad mortem, 2. Cor. 2. ψ . 16. obscurum, quia intellectus obscuratus, 2. Cor. 4. ψ . 4. & amarum, quia non gustant, quam suavis sit in verbo suo Dominus,

B

Pl. 34.

Pf. 34. v. 9. quàm super mel dulcia eloquia Pf. 19. v. 11. Christus verbis : Ego sum , discipulos in mari erigebat, Matth. 14. v. 27. Pharisæos refellebat, Joh. 8. v. 25. Cohortem Judæorum prosternebat, Joh. 18. v. 7. manna hujus cœlestis varietatem ostendebat.

CONTERIT INDURATOS.

26. 1. Reg. 19. ψ. 11. *Spiritus conterens petras*, *Elia visus est*. In verbo Dei ministerium Spiritus se exferit, 2. Cor. 3. v. 8. Legis malleus petras, corda hominum durissima. Jerem. 5. ψ. 3. rumpit, laceratque penitentia, Joel. 2. ψ. 13. Actor. 2. ψ. 37.

USUS SCRIPTURÆ

Correctorius.

27. *Memento, quid Dominus cum Miriam in via egerit*, Deut. 24. v. 9. Miriam imago peccatorum & punitorum est : Hujus semper meminisse debemus. Si Christus : Mementote uxoris Loth. Luc. 17. confer. 1. Corinth. 10. ψ. 6. & 11. Sapient. 16. ψ. 6. & ita scriptura utilis ad correctionem. 2. Tim. 3. ψ. 16.

Audiamus igitur libenter admonentes ministros, qui omnes ex præcepto Domini admonent, ut Levit. 15. ψ. 31. Ezech. 3. ψ. 7. cap. 33. ψ. 3. Imo ipsum Deum. Ose. 5. ψ. 9. qui enim ministros audit, Deum ipsum audit, Matth. 10. ψ. 20. Luc. 10. ψ. 16.

VERBUM DEI.

28. *Est pluvia voluntaria*, quâ terra sitiens Hebr. 6. ψ. 7. cordium nostrorum fecundatur, Psalm. 68. ψ. 10. Esa. 55. ψ. 16. Hanc gratiæ pluviam spernentes impij, pluviam sulphuris accipiunt. Psalm. 11. ψ. 6. Hæc verbi divini pluvia mysticè significata Johanni, quando vocem audivit aquarum multarum Apoc. 1. ψ. 15. Aqua pluvialis mollem reddit terram Psalm. 65. v. 11. Ita verbum Dei corda, Pluvijs fulgura adjuncta sunt. Jerem.

DE SACRA SCRIPTURA. 19

rem. 10. *ψ.* 13. Ita pœnæ Dei verbum sequuntur Deut. 28. per totum. Levit. 26. Per hanc pluviam verbi ad nos venit Ose. 6. *ψ.* 3. Johan. 14. *ψ.* 23. *veniam*: longè felicior hæc pluvia verbi est illâ in deserto. Exod. 16. v. 4. quâ manna depluit, & mortui nihilominus comedentes, Joh. 6. *ψ.* 58. & 59. Christus autem in verbi manna demittitur, quâ, qui vescitur, nunquam moritur: ideò etiam verbum vitæ nuncupatur, Johan. 6. *ψ.* 68. odor vitæ, 2. Cor. 2. *ψ.* 16.

VERBUM DEI

29. *Est malleus petras conterens, Jer. 23. v. 29.* Imò malleus universæ terræ domitor, quando ex universò mundo verbi sui malleò quosdam contrivit, corda faxea fregit incredulis in duritie sua manentibus, nec sanguine Christi mollescentibus. Sisaræ caput malleò pertudit Jael. Jud. 4. *ψ.* 21. Jael Ecclesia est, quæ malleò verbi caput infernalis Sisaræ contundit, quando omnes munitiones destruit, 2. Cor. 10. *ψ.* 5. Satanam pedibus suis conculcat, Ps 91. v. 13. Rom. 16. *ψ.* 20. hoc malleò contra ipsum pugnat, ut Christus, Matth. 4. v. 4. seq.

EST ROS.

30. Deut. 32. *ψ.* 2. *Concresecat doctrina mea in pluviam sicut ros eloquium meum.* Dicitur autem Dei Verbum ros. 1. *Ob originem*: Generatur Ros in alto: Ita Verbum Dei ex alto habet originem, hinc à Deo mitti dicitur, qui in altis habitat: Act. 28. *ψ.* 18. 2. *Ob serenum aerem*, quem ros amat: Ita Verbum Dei in pestore puro locum habet Joh. 15. 3. *in ebriationem*: Ros enim terram inebriat: Ita Verbum Dei mentes inebriat, fœcundat, ut fructum faciant, Johan. 15. *ψ.* 2. seq. 4. *Dulcedinis causationem*: Ros efficit dulcedinem: Ita Verbum Dei dulcescit in anima, Psalm. 34.

B 2

v. 9.

ψ. 9. Gustate. Psalm. 19. ψ. 5. Quam suavia eloquia tua.
 5. *Astus mitigationem*, Syr. 18. ψ. 6. Ita verbum Dei
 crucis æstum mitigat: Psal. 119: *Nisi verbum tuum*
 mihi solatio fuisset, periissem.

RADIUS.

13. *Divine gloria*, per quem nobis micat sol justitiæ,
 factus nobis à Deo Patre sapientia in verbo, 1. Cor.
 1. ψ. 30. Sap. 7. ψ. 25. Hic est radius illuminans nos &
 calefaciens, ut Luc. 24. ψ. 32. discipuli Emauntici fa-
 tentur, aliàs DEUS lucem inaccessam inhabitat,
 1. Tim. 6. ψ. 16. Exod. 33. ψ. 20. emisit ergo radium
 Verbi sui, ut per hanc lucem aliquo modo videremus,
 1. Cor. 13. v. 12.

VERBUM DEI ANIMARUM

cibus, Matth. 4. ψ. 4.

32. Non in solo pane vivit homo, &c. Ergo ver-
 bum Dei cibus. 1. *Obmysticam significationem*. Elias
 virtute cibi ab angelo suppeditati iter suum confecit,
 usque ad montem Horeb, per quadraginta dies & no-
 ctes. 1. Reg. 19. ψ. 8. Vita hæc nil, nisi profectio & iter
 esse ad montem cœli, Psal. 121. ψ. 1. ad quem virtute
 verbi pertingimus, ambulandò *die*, cum solatii lux afful-
 get, *vel nocte*, cum deficit solatium ferè, verbum tamen
 Domini nos sustentat. Jerem. 15. v. 16. Hunc cibum
 spiritualement absque pecuniâ emimus, gratis à Josepho
 nostro spirituali. Gen. 43. ψ. 22. Esa. 55. ψ. 1. Hic cibatur
 nos Tobias, Tob. 1. v. 20.

2. *Corporis sustentationem*: Corpus sine cibo non sus-
 tentatur: Anima hominis non nisi cibo Verbi spiritua-
 lis, Jerem. 15. ψ. 15. Ezech. 3. ψ. 3.

3. *Masticationem*: Cibus masticandus est in ore:
 Ita Verbum Domini per meditationem & orationem in
 cordibus masticandum. Huc spectant scripturæ mo-
 nita

nita Deut. 6. ψ . 6. seq. Col. 3. ψ . 16. Joh. 5. ψ . 36. Crux est instar dentium, cujus beneficiò cibus ille velut masticatur, inque cordis ventriculum demittitur.

4. *Ciborum* diversitatem: varia enim ejus genera sunt, quidam cibus solidior, quidam ætati infantili convenientior: Ita Verbi divini pars solidior sunt mysteria, lex; Lac est Evangelium, I. Cor. 3. ψ . 2. I. Pet. I. ψ . 23. Hæc discernendi cura ad prudentem Dei dispensatorem spectat, Hebr. 5. ψ . 12.

5. *Retentionem*. Cibus enim, si nutrimento corpori esse debet, in stomacho retineatur necessum est, in succum convertatur, in membra corporis distribuatur: Ita verbi cibus in stomacho cordis, calore Spiritus sancti concoquendus est, & partes hominis nutriendæ sunt, ut spiritualiter crescant, fructum ferant: Et hoc est, gratiam DEI non in vanum accipere, 2. Corinth. 6. ψ . 1. videre, quomodo audias Verbum, Luc. 8. ψ . 8.

VERBUM DEI EST MEL,

Ezech. 3. ψ . 3. Comedi (volumen à Domino porrectum) & factum est, sicut mel in ore meo. Verbum Domini est illud mel.

33. 1. *Ob dulcedinem*: Ut enim mel dulce est: Ita Verbum Dei dulce, Psal. 119. ψ . 103. dulcedinem Domini nobis revelat: Psal. 34. v. 9. Gustate & videte!

2. *Mysticam significationem*: DEUS mel fluere fecit ex petra Israelitis in deserto, Deut. 32. ψ . 15. Ita nobis in deserto mundi fluere mel facit Dominus ex petra Spirituali Christo. I. Cor. 10. ψ . 4. Hoc melle vescei nos impedire conatur Satanas, ut Saul Jonathanem lassum puguâ, I. Sam. 14. ψ . 29. Hoc mel verbi est sub lingua Sponsæ, Cant. 4. ψ . 11. quando verbum Domini semper meditantur fideles Coloss. 3. ψ . 13. qui sunt

Spongia Christi, quo melle nos Deus pascit, Ezech. 16, ψ . 13. Mellis *usus* maximus est in vita corporali, Syr. 39. ψ . 31. Spiritualis mellis longè major in vita spirituali usus: Esa. 38. ψ . 16. Hoc verbi mel non semper purum comedimus, sed aliquando agreste fit, in mundi hujus eremò: sic Johannes mel agreste comedit, Matt. 3. ψ . 4. agreste autem mel verbi fit, cum cruce preffi non sapimus ejus dulcedinem.

3. *Medicam operationem.* Variæ mellis facultates recensentur mollescendi, calefaciendi &c. Verbi divini longè major est virtus corda faxea emolliendi, frigida calefaciendi & inflammandi, Luc. 24. ψ . 34.

VERBUM DEI EST IGNIS.

Jer. 23. v. 29. Nonne Verbum meum sicut ignis.

34. 1. *Obmutationem.* Ignis ferrum ignitum, lapides calidos reddit: Ita verbum Dei corda ferrea immutat, carnea facit, calida reddit, carnea ex faxis, Ezech. 36. ψ . 26, calida ex frigidis.

2. *Renovationem* metallorum è terra erutorum, hunc enim usum præstat ignis: Ita corda humana novantur verbo ad justitiam, Ephes. 4. ψ . 23. è partibus terræ eruta, Psal. 139. v. 15. hoc est utero materno.

3. *Violentiam.* Ignis violenter agit: Ita verbum Dei, nisi suffocetur, violentum est in virtute, Rom. 1. v. 16. Jer. 23. v. 29. Hebr. 4. v. 12.

4. *Segregationem.* Ignis segregat heterogenea, ut videre est in metallorum eliquatione: Ita Verbum segregat doctrinas, argentum ab auro, ab utroque stipulas, 1. Cor. 3. v. 12.

5. *Penetrationem.* Ignis abdita quæque penetrat: Ita corda penetrat Dei Verbum, Hebr. 4. v. 12. Act. 2. v. 37. Act. 16. v. 14.

6. *Vni-*

6. *Visionem*, quæ patet in corporibus ignitis, in quibus se ignis subjecto toti insinuat: Ita Verbum Dei, Spiritum sanctum cum cordibus nostris unit, unde Verbum Spiritus dicitur: Ephes. 6. *ψ*. 17. & per hoc Verbum Spiritum sanctum accipimus: Gal. 3. *ψ*. 2.

7. *Elevationem* rerum unitarum: ignis enim invadens stipulas, secum elevat easdem in altum: Ita Verbum Dei corda occupata à terrenis ad cœlestia elevat, eorumque desiderio mentes inflammat. Huc pertinent scripturæ loca, quibus sacro desiderio pii inflammati leguntur. Psal. 25. *ψ*. 1. Psal. 42. *ψ*. 1. Phil. 3. *ψ*. 20. Ignis Verbi erat in corde Apostoli: cor ascendebat in cœlum, spernebat terram, in qua conversationem non habebat.

ARTICVLVS II.

DE V. ET N. TESTAMENTO

V. T. EST NOX.

35. 1. *Ob solis absentiam*. Noctu enim Sol est infra horizontem vel hemisphærium. Ita Christus Sol iustitiæ adhuc latebat ἀσαρξ, nondum venerat plenitudo temporis: Galat. 4. *ψ*. 4. idè in carne Deus non manifestabatur. 1. Tim. 3. *ψ*. 16.

2. *Patet factio num rationem*. Noctu enim plerumque Dominus Prophetis se manifestabat, Gen. 26. *ψ*. 24. cap. 46. *ψ*. 2. Judic. 6. *ψ*. 25. & alibi. Quò adumbrare voluit Dominus, V. Testamenti cognitionem umbris & tenebris involutam esse. Sic Dan. 7. *ψ*. 2. & 13. Tales autem patet factio sub novi Testamenti tempus expirant: quò Dominus nobis per filium locutus, Hebr. 1. *ψ*. 1.

3. *Syderum lucem*. Nocti enim Luna præst, Dicit Sol: sic in V. Testamento Luna solum fuit, variarum legum,

legum, Sol novi Testamenti Christus illam lunam illustravit, Rom. 13. ψ . 12. Moses Luna fuit, sed Christus justitiæ Sol: Illa micat solis lumine: at hic proprio.

4. *Tenebrarum rationem.* Noctu tenebræ sunt: Sic in V. Testamento tenebræ & umbræ Hebr. 10. ψ . 1. quoad cognitionem.

5. *Terribilitatem.* Nox terribilis est, Psal. 91. ψ . 5. Ita in V. Testamento fuit maximus, quia sub pædago- go legis erant ejus cives. Galat. 3. ψ . 24. legis autem est terrere, ut in promulgatione ejus Exod. 19. exemplo Israelitarum patet.

V. & N. T. Gen. 1. ψ . 16.

36. *In cælo duo luminaria fecit Deus: Majus & Minus.* In cælo Ecclesiæ (quæ sapius dicitur regnum cælorum) duo luminaria constituit: Unum minus, quod nocti præfuit. Hoc est Vetus Testamentum, in quo umbræ Hebr. 10. ψ . 1. & tenebræ. Alterum majus: Hoc est N. Testamentum, in quo dies illuxit, Rom. 13. ψ . 12. Sol justitiæ apparuit, Malach. 4. ψ . 2. 2. Cor. 6. ψ . 2. Esa. 49. ψ . 8. & Oriens ex alto Luc. 1. ψ . 78. & justitia nostra sicut lampas exarsit, Esa. 62. v. 2. ipse filius apparuit in carne, 1. Tim. 3. ψ . 16.

V. T. AUTHORITAS

in N. confirmatur.

37. *Puteis Abrahami Patris sui eadem nomina imposuit Isaac,* Gen. 26. ψ . 18. Putei spirituales Dei Patris sunt V. T. libri, quos iisdem nominibus Isaac nominavit Christus, quando ad illorum auctoritatem toties provocavit. Matth. 4. v. 47. 10. cap. 9. v. 13. cap. 11. v. 5. & alia.

DUO TESTAMENTA SUNT

duo Cherubim.

38. Exod. 25. ψ . 18. *Duo Cherubim alis obumbrabant*

bant propitiatorium intentis: Ita duo Testamenta Christum proponunt, ut verum Mediatorem: Vetus, ut futurum; Novum, ut præsentem. Una enim est saluatorum in utroq; Testamento gratia, Act. 15. v. 11. 1. Pet. 1. v. 11. Apoc. 13. v. 8. Hebr. 13. v. 8.

V. T. IMPERFECTITUDO.

39. Exod. 38. v. 7. *Altare intus vacuum erat*: Hoc significatum fuit, sacrificiis V. Testamenti nondum solidam expiandi rationem inesse: Vacuum non est solidum; Expectandus igitur Christus erat, qui *solidum altare* corporis sui exhiberet, Hebr. 13. v. 10. in cruce aperiret, cor patefaceret, per vulnera lateris scilicet sui v. 9. & 13. *Anima sub altari clamavit*. Apoc. 6. v. 9. Tales fuerunt animæ piorum in V. Testamento, sub altaribus vacuis clamantium & saluatorem expectantium. Esa. 64. v. 1. Hoc sensu Patres promissionem non acceperunt, Heb. 11. v. 13. 39. cum Christum in quo omnes promissiones AMEN, 2. Cor. 1. v. 17. futurum fide viderunt, Joh. 8. v. 56.

V. & N. T.

40. *Tangunt se mutuò Cherubim in templo Salomonis*, 1. Reg. 6. v. 26. Ecclesia V. & Novi Testamenti templum est Christi, 1. Corinth. 3. v. 16. Zach. 6. v. 12. Ephes. 2. v. 21. 2. Cor. 6. v. 16. qui major est Salomone, Matth. 12. v. 42. Hoc templum duo Testamenta Christum obvelantia (vetus, ut futurum, novum, ut præsentem) implent, & se mutuò tangunt. Utrumq; simul parietem tetigerunt; quia utriusque caput anguli Christus, quem uterque adumbravit Cherub.

VET. TESTAMENTI

cives sub umbra.

41. *Nathanael sub umbra ficus fuit, Christum non vidit*, Joh. 1. v. 48. Solem justitiæ quem tamen Christus

B 5

vidit.

vidit. Tales Nathanaeles erant Veteris Testamenti cives, qui sub umbra ficus, hoc est, legis latebant, Christum solem Justitiæ non intuebantur, cum adhuc sub umbris essent Ceremoniarum, Hebr. 10. ψ . 1. inf. 8. ψ . 5. Col. 2. ψ . 17. Hostamen Christus non secus, ac Nathanaelem vidit, quia ille Vet. Testamenti etiam Mediator fuit, cum Abrahamo pacti. Gal. 3. ψ . 16. Et fuit heri & hodie, Heb. 13. ψ . 8.

N. & V. TESTAMENTI

Cives.

42. *Vires veteres rumpuntur, si novum vinum infundas.* Matth. 9. ψ . 17. Ita V. Testamenti & legis rigidi defensores, Evangelii doctrinam inter Ethnicos ægre tulerunt disseminari, persecuti sunt; 1. Theff. 2. ψ . 15. rejecti ergo, ut utres veteres vini hujus cœlestis minime capaces, Act. 13. ψ . 46. Act. 18. ψ . 6. *Ut Josua Gabonitas utribus veteribus fucum facientes, rejecit, & perpetua mancipia fecit:* Josuæ 9. ψ . 23. Ita & cœlestis Josua utres veteres legis retinentes perpetua mancipia fecit, Gal. 5. ψ . 1. à vera libertate Joh. 8. ψ . 36. sequestravit, colla eorum importabili legis jugo subdidit. Act. 15. vers. 10.

V. & N. T. SCOPUS CHRISTUS.

43. *Luna & Sol Josephum adorârunt,* Gen. 37. ψ . 9: Verum in Christo est complementum, Luna Vetus testamentum notare potest, à sole novi T. illustratum. Utriusque verò pacti cives Christum adorarunt, in eo salvati sunt, Act. 15. ψ . 11. 1. Pet. 1. ψ . 11. (Totum enim cultum adorationis vox complectitur) Luna ergo V. T. & Sol N. T. Christum pro mediatore agnovit & adoravit, Psal. 72. ψ . 11.

V. T. OBSCURITAS.

44. *Joseph per interpretes cum fratribus agebat.*
Tan-

DE SACRA SCRIPTURA. 27

Tandem vero ipse cum isdem loquebatur, Gen. 42. ψ . 23.
Ita in V. T. per interpretes Prophetas (vide Amos 3.
 ψ . 7.) Deus locutus est, modò per apparitiones, mo-
dò per somnia, Gen. 20. ψ . 3. modò per visiones. Gen.
15. ψ . 1. At tempore N. Testamenti ipse filius locutus
est, Hebr. 1. ψ . 1. ipsa lux apparuit, Luc. 1. v. 79. ipse Dei
filius, 1. Joh. 3. ψ . 8. non cessavit, Rom. 13. ψ . 12. claritas
Domini patefacta, 2. Cor. 3. ψ . 18. cap. 4. ψ . 6.

V. T. OBSCURITAS.

45. 1. Regum 8. ψ . 12. *In nebula se habitaturum Do-*
minus dixit: Legis illa nebula erat, è quâ Deus loque-
batur, Deut. 5. ψ . 22. quamque Moses ingrediebatur,
Exod. 20. ψ . 21. Hebr. 12. v. 18. Deus inhabitabat
propitiatorium Cherubinis tectum; In novo au-
tem Testamento *propositum*: per fidem, Rom. 3. ψ . 25,
& re tectum vel apertum, 2. Cor. 3. ψ . 16. revelatâ facie
gloriam Domini speculamur, cujus beneficio etiam,
qui antea cæci erant, propitiatorium intu-
entur, Esa. 29. ψ . 18.



CA.